

cium vnicum Deo gratum, quo ad voluntatem, existens.

CAP. XVII.

*Sexta & ultima lex est, Fraternitatem R. C. centum annis occultari debere.*

**C**VM vulgus quid occulte geri vel habere sentiat, nec causas tantæ rei intelligat, mox ex Idiomatica sua imperitia iudicat, id esse malignæ proprietatis ac erubescere, vt in prospectũ veniat; Mala, inquit, in tenebris fieri solent: Hoc qualecunq; sit, non audet videri, palpari, diiudicari: Ergo malum est: Cumq; hæc apud se captionem alogisticam formarit, in ea, tanquam re bene confecta, acquiescit & Censoriam stringit virgulam, vocans id pessimum quod occultum, & fugiendum vt vitium, quod ignotum sit.

Idem arbitrii sacra illa Eleusinia antiquitus abditissima habita & reliqua omnia eius census passa sunt; Cur nõ in apri-co geruntur, quæ sunt honesta, quærunt per-

per-